

52. Ut hoc argumentum magis perspicuum fiat, observandum est ex pluribus non posse aliquid, quod est unum per se, effici sine aliquo principio, quod ipsa ita pervadit, ut unum ex iis existat, divisibile quidem *potenti* in plures partes, sed indivisum *actu*. Quapropter partes corporis non possunt constituere corpus sine aliqua vi, qua continentur, atque unum efficiunt. Iam, si praeter partes, ex quibus corpus coalescit, opus est ad corpus efficiendum aliqua vi, seu principio activo, ex quo ipsae cohaerent, atque in unum coalescunt, liquet essentiam corporis ex eo constitui non posse, quod corpus ex pluribus substantiis compositis, ceu sui partibus, conflatur.

ART. II. *Vera sententia circa essentiam corporis adstruitur*

53. Doctores mediae aetatis, si Ockamum exceperis, concorditer docuerunt corpus tribus dimensionibus, nempe *extensione*, natura sua praeditum esse, corporis autem essentiam non esse positam in *actuali* extensione, sed in *exigentia* extensionis, sive, ut nonnulli aiunt, in *extensione radicali*<sup>1</sup>. Quocirca dimensiones, ex eorum sententia, a corpore virtute Divina separari queunt, sed, si hoc fiat, corpus illas semper *exigit*, neque hac *exigentia* expoliari potest; quippe quod, si licet nobis substantiam corpoream sine actuali extensione intelligere, necesse certe est, ut illam veluti aptam ad hanc recipiendam intelligamus.

54. Veritatem huius sententiae demonstramus sequenti Propositione:

*Essentia corporis in eo posita est, quod est substantia composita ad trinam dimensionem recipiendam apta.*

*Probatur.* Certum est 1° corpus sine trina dimensione, seu extensione naturaliter esse non posse; 2° quamvis non omnes proprietates corporis a sola trina dimensione oriuntur, tamen trinam dimensionem intelligi veluti fundamentum, et subiectum omnium proprietatum, et affectionum, quae in corpore sunt. Quapropter essentia corporis vel in *actuali extensione*, vel in *exigentia extensionis* ponenda est. Atqui essentia corporis in actuali extensione, quemadmodum ostendimus, posita esse nequit. Ergo ipsa in *exigentia* extensionis consistit, nempe, ut s.

<sup>1</sup> Scholasticis hac quoque in re plausit Leibniti; cf *Syst. theol.*, et *Lettre sur la question, si l'essence du corps consiste dans l'étendue.*

Thomas ait<sup>1</sup>, in eo, « quod rei corporali debetur habere tres dimensiones ».

55. Extensionem non *actualem*, sed *radicalem* esse, quae essentiam corporis constituit, confirmatur hoc argumento: Essentia substantiae corporeae in illa extensione est reponenda, quae ipsi dumtaxat convenit. Atqui extensio *radicalis*, non vero *actualis* convenit uni substantiae corporeae; quia extensio actualis convenit quoque accidentibus; at non *radicalis*, sive *exigentia* extensionis, quia accidentia non per se, sed ratione subiecti, in quo sunt, extensionem exigunt. Ergo extensio *radicalis*, non vero actualis essentiam substantiae corporeae constituit<sup>2</sup>. Quae cum ita sint, corpus dici potest *substantia trinam exigens dimensionem*.

CAPVT III.

De praecipuis corporum proprietatibus

ART. I. *De extensione*

56. Extensio, sive quantitas continua, est illa corporis proprietas, per quam ipsum habet partes extra partes, atque eas communi vinculo colligatas, ita ut unum *per se* efficiant. Quomodo haec proprietas in corpore existat, ex doctrina, quam defendimus, de constitutione corporis haud difficile est intelligere. Nam si corpus, uti ostensum est, ex materia, veluti principio passivo, et ex forma, veluti ex principio activo, exurgit, nemo non videt a materia pullulare oportere partes, ex quibus corpus componitur, atque per formam partes ita inter se cohaerere, ut unum per se efficiant. Et sane, cum forma sit, ut Cicero ait<sup>3</sup>, quaedam vis, quae materiam pervadit, ipsa efficit, ut materia cohaereat, trinasque dimensiones quantitatis adquirat.

57. At vero fautores Dynamismi, uti alibi adnotavimus, extensionem non nisi phaenomenicam admittunt<sup>4</sup>. Quare ostendimus contra ipsos sequentem Propositionem:

*Extensio corporum est realis.*

*Probatur.* 1° Nos corpus non sentimus, nisi prout extensum, seu quantum est<sup>5</sup>. Atqui perceptiones corporis esse obiectivas

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 81. — <sup>2</sup> Cf s. Basil. *Hom. III in Hexaem.*, n. 4.

<sup>3</sup> *Acad. Quaest.*, lib. I, c. 6. — <sup>4</sup> *Vid.* p. 94.

<sup>5</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 2.

in *Dynamilogia* evicimus <sup>1</sup>. Ergo quantitas, sive extensio corporis *obiectiva* dicenda est. 2<sup>o</sup> Quantitas est fundamentum ceterorum accidentium corporis <sup>2</sup>, quia quantitas est primum omnium, quae substantiae corporis advenire intelligimus <sup>3</sup>, et quidquid corpori accidere intelligimus, non nisi prout per partes extenditur, seu prout est *quantum*, intelligere possumus <sup>4</sup>. Quapropter, si extensio, seu quantitas corporis esset subiectiva, vel phaenomenica, omnes qualitates corporis non aliud, nisi mera affectio animi, vel merum phaenomenon dici possent; quia non foret in corporibus aliquid simile illis, immo ne aliquid quidem, ex quo ipsarum affectiones in nobis producantur. Atqui omnes Philosophi, si Idealistas, et Scepticos exceperis, aut omnes qualitates esse obiectivas docent, aut etsi eas vel omnino, vel ex parte tamquam *subiectivas* admittant, tamen in corporibus aliquid reale agnoscunt, ex quo ipsarum affectiones in nobis producantur. Ergo extensio corporum, secundum ipsorum adversariorum principia, obiectiva, et realis dicenda est.

58. Controversia, quae circa quantitatem corporis agitur, utrum nempe corpus in certum partium numerum, an in infinitum divisibile sit, dirimi potest ex iis, quae statuimus in articulo primo Capituli octavi *Ontologiae* <sup>5</sup>.

ART. II. De impenetrabilitate corporis

59. *Impenetrabilitas* est illa proprietas, qua omne corpus cetera expellit ab ipso loco, quem occupat.

60. Prop. *Omne corpus est impenetrabile.*

*Probatur.* Substantia corporea ratione quantitatis in partes, quarum una est extra aliam, distribuitur, sive *extenditur*; quod quidem possibile non est, nisi quaelibet partium aliud, ac ceterae, spatium occupet, atque a spatio, quod occupat, ceteras expellat <sup>6</sup>. Atqui sicut se habet pars corporis ad partem loci, quem corpus occupat, ita se habet totum corpus ad totum locum; nam

<sup>1</sup> Cap. III, art. 4, p. 116, vol. I.

<sup>2</sup> « Omnia alia accidentia, ait Aquinas, in quantitate fundantur »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 sol. 3 c.

<sup>3</sup> « Est primum accidens consequens substantiam »; *ibid.* ad 1.

<sup>4</sup> « Ipsa albedo dicitur magna, vel parva, et ideo dividitur secundum proprium subiectum »; I, q. LXXVIII, a. 3 ad 2.

<sup>5</sup> P. 55-56. — <sup>6</sup> Cf s. Aug., *Contr. Ep. Man.*, c. 16, n. 20.

quodlibet corpus est ab omni alio divisum. Ergo quemadmodum quaelibet pars corporis expellit alias partes eius a parte spatii, quod occupat; ita quodlibet corpus debet certum spatium sui proprium occupare, ab eoque reliqua corpora expellere <sup>1</sup>. Confirmatur haec propositio ab experientia, ex qua compertum est nullum corpus posse alterius locum occupare, nisi ab eo ipsum expellat.

61. Ut autem notio impenetrabilitatis clarior fiat, haec observanda sunt:

1<sup>o</sup> Impenetrabilitas explicari non potest, nisi quaedam vis resistendi in corpore esse dicatur. Namque unum corpus impedire non potest, quominus aliud corpus occupet locum ei proprium, nisi quidquam agat. Atqui haec actio aliquam vim agendi ipsi consentaneam in corpore ex postulat. Ergo admittenda est in corpore aliqua vis resistendi, cuius gratia ipsum est impenetrabile.

2<sup>o</sup> Exinde illud intelligitur, quod etsi impenetrabilitas a materia emergat, quia convenit corpori ratione quantitatis, tamen formam aliquid conferre ad ipsam efficiendam, quia vis resistendi non nisi a principio activo repeti potest.

3<sup>o</sup> Vis resistendi, qua corpora pollent, spectari potest non solum prout habet ordinem ad locum, quemadmodum hactenus considerata a nobis est, sed etiam prout habet ordinem ad ipsum corpus, in quo est. Namque, sicut ipsa, prout ordinem ad locum habet, efficit, ut corpus a loco, quem occupat, reliqua corpora expellat, ita prout ordinem ad ipsum corpus habet, impedit, quin unum corpus extensionem suam cum extensione alterius corporis commisceat. Immo ex impenetrabilitate hoc altero modo spectata impenetrabilitas in ordine ad locum exurgit. Etenim eo ipso, quod omne corpus impedit, quin extensio alterius cum sua commisceatur, prohibet, quin aliud corpus locum, in quo est, occupet.

62. Declarata notione impenetrabilitatis, opus nobis est inquirere, num virtute Divina effici possit, ut duo corpora eundem locum occupent, hoc est, sese compenetrent.

Prop. *Fieri potest ex virtute infinita Dei, ut plura corpora sese compenetrent, eundemque locum occupent.*

*Probatur.* Impenetrabilitas in corporibus producit ex eo quod

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Quodlib.* I, a. 21 c.

eorum dimensiones distinguuntur secundum situm, ac proinde diversa loca occupant <sup>1</sup>. Atqui Deus, quippe qui est causa prima omnium rerum, potest effectus causarum secundarum in suo esse sine ipsis causis conservare. Ergo Deus potest conservare trinas dimensiones, seu quantitatem in duobus corporibus, etiamsi non distinguantur secundum situm, hoc est, etiamsi sese compenentrent, eundemque locum occupent <sup>2</sup>.

63. Exinde colligitur falsum esse illud, quod Lockius obiicit, nempe, duo corpora, si sese compenentrent, unum evadere. Et sane, quemadmodum s. Thomas monuit, si duo corpora sese penetrare naturaliter possent, procul dubio unum corpus efficerent; quia « quando conveniunt duo corpora in unum, destruitur esse distinctum utriusque, et acquiritur utrique simul unum esse indistinctum <sup>3</sup> ». At, cum duo corpora virtute Divina sese compenentrent, non evadunt unum corpus, sed remanent duo; quia etsi ratione loci, quem occupant, inter se non distinguantur, tamen utrumque retinet esse suum distinctum ab esse alterius. Etenim Deus, ut modo vidimus, effectus causarum creaturarum tum quoque conservare potest, cum ipsae causae cessant; quare Ipse virtute sua infinita efficere potest, ut, dum duo corpora sese compenentrent, unumquodque illorum conservet esse suum distinctum ab esse alterius, licet dimensiones unius a dimensionibus alterius ratione situs amplius non distinguantur.

64. At vero, si duo corpora in eodem loco esse possunt, repugnat unum corpus in pluribus locis esse <sup>4</sup>. Enimvero aliquod corpus eo ipso, quod est in loco *circumscriptive* <sup>5</sup>, comprehenditur a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Atqui « quod comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, quod nihil est eius extra locum illum ». Ergo « po-

<sup>1</sup> « Nihil, ait s. Thomas, potest prohibere corpus aliquod, ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco, nisi hoc, quod in eo requirit diversum situm »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, sol. 2 c.

<sup>2</sup> Ita argumentatus est s. Thomas, *Quodlib.* I, a. 22 c. Corpora aliquando compenetrata fuisse ex ss. Litteris discimus. Cf s. Aug., *Tract. CXXI in Ioan.*, n. 4. — <sup>3</sup> *In lib. IV Sent.*, *ibid.*, sol. 3 c.

<sup>4</sup> « Corpus, inquit s. Thomas, esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2, sol. 3 ad 4. Cf praeter alios B. Alb. M., *De sex principiis*, tract. V, n. 1, et s. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, p. II, a. 4, q. I ad arg.

<sup>5</sup> Cf *Ontol.*, c. X, art. 1, p. 74.

nere quod aliquod corpus sit localiter in hoc loco, et tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul <sup>1</sup> ». .

ART. III. De corporum figura

65. *Figura*, ut alibi innuimus <sup>2</sup>, consistit in *terminatione quantitatis*, ac proinde est *quaedam forma circa quantitatem* <sup>3</sup>.

66. Prop. *Omnia corpora quadam figura praedita sunt.*

*Probatur.* Magnitudo cuiuslibet corporis determinata esse debet, quia quidquid in rerum natura existit, est determinatum. Atqui magnitudo non aliter determinata intelligi potest, quam si uno, pluribusve terminis comprehensa concipiatur; id quod experientia confirmat, nam nullum corpus nanciscimur non aliquibus terminis comprehensum. Ergo omne corpus terminis comprehenditur. Atqui in hac re figura corporis posita est <sup>4</sup>. Ergo omne corpus aliqua figura praeditum est.

<sup>1</sup> *Quodlib.* III, a. 2 c. Advertendum est non posse quidquam extendi contra hanc sententiam ex eo, quod Corpus I. Christi est simul in coelo, et in Sacramento Eucharistiae, neque ex eo, quod in Sacramento Eucharistiae est simul in pluribus locis; quia praesentia *Sacramentalis* Corporis Christi est diversi generis, ac *quantitativa*, quam in Coelo habet. Et sane, Corpus I. Christi in Coelo est *divisibiliter*, seu *extensive*, et in Sacramento Eucharistiae est *indivisibiliter*, seu *inextensive*; unde non repugnat illud esse simul in Coelo, et in pluribus Altaribus: « Corpus Christi non est in hoc Sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensionum, sed magis secundum modum substantiae... Unde relinquitur, quod Corpus Christi non est in hoc Sacramento sicut in loco, sed per modum substantiae: eo scilicet modo, quo substantia continetur a dimensionibus » (III, q. LXXVI, a. 5 c.). Sane, « quia ex vi huius Sacramenti est in altari substantia Corporis Christi, quantitas autem dimensionum eius est ibi concomitanter, et quasi per accidens; ideo quantitas dimensionum Corporis Christi est in hoc Sacramento, non secundum proprium modum (ut scilicet sit tota in toto, et singulae partes in singulis partibus), sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto, et tota in qualibet parte »; *Ibid.*, a. 4 ad 1 (vid. p. 109, not. 1). Quod attinet ad apparitiones Sanctorum in pluribus locis, dicendum est illas evenisse vel ministerio Angelorum, qui in similitudine corporea illos Sanctos repraesentabant, eorumque nomine res gerebant, vel productione novi corporis sive ex nihilo, sive ex alia materia.

<sup>2</sup> *Log.*, part. I, c. I, art. 9, p. 20, vol. I.

<sup>3</sup> I, q. VII, a. 1 ad 2. Sensu autem improprio hoc nomen figurae « ponitur pro quolibet signo, quod instituitur ad aliquid significandum secundum assimilationem ad aliud »; *In lib. III Sent.*, Dist. XVI, q. II, a. 1 ad 1.

<sup>4</sup> « Est figura, quae termino, vel terminis comprehenditur »; I, loc. cit., a. 3 c.

67. Manifestum est figuram esse proprietatem corporis, quae a forma promanat. Nam materia, sicut per se est indifferens ad quamlibet substantiam corpoream constituendam, ita quoque est per se indifferens ad quamlibet determinationem quantitatis. Hinc, sicut materia a forma determinatur ad aliquam certam substantiam constituendam, ita ab eadem forma quantitas eius ad unum, pluresque terminos in se recipiendos, ac proinde ad hanc, vel illam figuram determinatur. Quod si figura corporis a forma promanat, consequitur figuram esse diversas secundum diversas corporum species, quia forma est principium, per quod corpora ab se specie differunt. Id, si in corporibus vita praeditis, nempe plantis, atque animalibus maxime elucet, in corporibus vitae expertibus, hoc est mineralibus quoque observatur, cum a statu aeriformi, vel liquido ad solidum transeunt. Quare diversitas figurae non modo a recentibus Physicis, sed etiam a Peripateticis tutius indicium existimata est, ex quo diversae species corporum dignoscuntur <sup>1</sup>.

ART. IV. De corporum activitate

68. Iam alibi ostendimus adversus Malebranchium <sup>2</sup> nihil repugnantiae in eo inveniri, quod corpora quadam activitate praedita sint, et contra Leibnitium <sup>3</sup> alia in alia agere posse. Hic demonstrandum nobis est corpora reapse illa activitate pollere, praetereaque inquirendum, quousque ipsa porrigatur, nempe utrum corpora novas generent substantias, an dumtaxat nova accidentia in substantiis, quae iam existunt, producant.

69. Prop. 1<sup>a</sup>. *Corpora quadam activitate praedita sunt.*

*Probatur.* Quotidiana, et constanti experientia edocemur corpora, positis certis conditionibus, certos effectus producere, e. g., ceram liquefieri, si igni admoveatur, aerem illuminari, statim ac sol oritur; aqua sitim restingui. Atqui huiusmodi effectus a corporibus, tamquam a veris suis causis, producantur. Ergo corpora vi actiosa pollere certum est.

70. *Minor probatur* 1<sup>o</sup> ex eo, quod nulla ratio est, cur illos effectus corporibus, veluti veris suis causis, denegemus, quia, uti in *Ontologia* ostendimus, corpora aliquid in se invicem age-

<sup>1</sup> Cf s. Thom., III, q. LXIII, a. 2 ad 1.

<sup>2</sup> *Ontol.*, c. IX, art. 7, p. 68-69. — <sup>3</sup> *Ibid.*, art. 2, p. 60-61.

re non repugnat; 2<sup>o</sup> ex eo quod, ut s. Thomas advertit, illi effectus constanter sequuntur, nisi quod accidens ipsos impediatur <sup>1</sup>; 3<sup>o</sup> quia non solum experimur, e. g., calorem, sed etiam calorem ignis, quod quidem experiri non possumus, nisi ipsemet ignis sensationem caloris producere dicatur <sup>2</sup>; 4<sup>o</sup> ex eo, quod in rebus naturalibus quaedam ad certos effectus producendos dispositiones insunt; e. g., in semine, et tellure aliquid est, quod ad productionem plantae, atque in cibo aliquid est, quod ad nutritionem concurrat; unde in his rebus, dum effectus producit, quaedam fiunt reales immutationes, e. g., in nutritione fit physica ciborum decompositio. Iamvero, « nisi res naturales aliquid agerent, frustra essent eis formae, et virtutes collatae; sicut si cultellus non incideret, frustra haberet acumen »; quod profecto infinitae Dei Sapientiae repugnat, nam « contra rationem sapientiae est, ut sit aliquid frustra in operibus sapientis <sup>3</sup> ».

71. Prop. 2<sup>a</sup>. *Corpora non solum nova accidentia in substantiis, quae iam existunt, sed etiam novas substantias gignunt.*

*Probatur.* Nos continuo conspicimus a rebus alias res ipsis similes, e. g., ignem ab igne, progigni <sup>4</sup>. Atqui similitudo corporis geniti cum gignente non in accidentibus, sed in substantia, seu natura maxime posita est <sup>5</sup>; quia accidentia, ex quibus individuum constituitur, a causis extrinsecis variari et mutari possunt. Ergo si corpus gignit corpus sibi simile, unum alterius substantiam gignere dicendum est <sup>6</sup>.

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, De Pot., q. III, a. 7 c.

<sup>2</sup> Cf *Criterionol.*, c. III, art. 2, p. 236-238, vol. I.

<sup>3</sup> *Qq. disp.*, *ibid.* Eodem Aquinate observante, illud etiam absurdum consequeretur, si corporibus omnis vis agendi denegaretur, quod nempe ordo rerum, ex quo systema mundanum efficitur, prorsus rueret. « Si autem, ait, a rebus subtrahantur actiones, subtrahitur ordo rerum ad invicem: rerum enim, quae sunt diversae secundum suas naturas, non est colligatio in ordinis unitatem, nisi per hoc, quod quaedam agunt, et quaedam patiuntur »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69, n. 2.

<sup>4</sup> Hinc s. Thomas asseruit inductione inniti illud effatum, quod *omne simile producit sibi simile*. « Apparet, inquit, per inductionem in omnibus, quod simile agat suum simile »; *Contr. Gent.*, loc. cit.

<sup>5</sup> « Generare, inquit s. Bonaventura, de sui propria ratione est similem sibi in substantia, et natura producere »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, a. 1, q. I *resol.*

<sup>6</sup> Cf quae diximus in Cap. I, *passim*. Qua in re illud cum Aquinate advertendum est, quod etsi vires activae corporis sint accidentia, tamen for-

ART. V. *Quid de proprietatibus corporum primariis, et secundariis sentiendum sit, definitur*

72. Philosophi post Cartesium proprietates corporum in *primarias*, et *secundarias* vulgo distinguunt. Illae sunt, quemadmodum Lockius ait, *soliditas, extensio, figura, motus, quies, et numerus*<sup>1</sup>; istae autem consistunt in quadam vi, qua primariae pollent, producendi in animo sensationes, e. g., *colores, sapes, odores* etc. Iam in definiendo, utrum hae proprietates re ipsa inveniantur in corporibus, ipsi valde inter se dissident. Nonnulli, inter quos idem Lockius, docent qualitates primarias esse obiectivas, secundarias autem esse subiectivas, nempe animi nostri affectiones, quibus nihil simile in corpore respondet. Alii, inter quos Berkeleyus, omnes qualitates primarias, non secus ac secundarias, esse subiectivas contendunt, atque inde idealismum eliciunt<sup>2</sup>. Leibnitius denique<sup>3</sup>, Garnierius<sup>4</sup>, alique non solum

ma substantialis in alio corpore ab eis produci potest, in quantum agunt virtute substantialis formae illius corporis, cui inhaerent (*Contr. Gent.*, loc. cit.). Ita calor, quo ignis in lignum agit, non est causa principalis, quae efficit, ut lignum in ignem transmutetur, sed est instrumentum, quo ignis lignum in ignem convertit (cf I, q. LXXVII, a. 3 ad 3). Quod si vires activae corporis, quod in aliud agit, sunt causae instrumentales, ipsae assimilant corpus, in quod agunt, non sibi, sed magis formae substantiali corporis sui; nam instrumentum, quo causa principalis ad effectum producendum utitur, non eo spectat, ut effectum assimilet naturae suae, sed naturae causae principalis, quia ab hac omnem virtutem agendi sumit. «Effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis»; III, q. LXII, a. 1 c.

<sup>1</sup> *Essai phil.*, etc., lib. II, c. 8, § 9-21. Diximus secundum Lockium, quia alii diversis modis illas enumerant.

<sup>2</sup> Galluppius (*Saggio fil.*, lib. IV, c. 4, § 44), cuius sententiam Saissetus (vid. *Dict. phil. art. Matière*) nuper defendit, Berkeleyo concessit omnes proprietates, quas nos corpori tribuimus, non aliud esse, nisi sensationes nostras, quibus res extrinsecus obiectas induimus, sed idealismum inde concludi posse negavit. Ast perperam. Nam, corporum naturam non nisi ex eorum proprietatibus cognoscere possumus; quapropter, si cunctae proprietates corporum non sunt tales, quales in corporibus a nobis cognoscuntur, concludendum est nos naturam corporum ignorare, ac proinde idealismus Berkeleyi, sive scepticismus circa scientias rerum naturalium admittendus est.

<sup>3</sup> *N. E.*, lib. II, c. 8. Qua in re Leibnitius monadologiae suae placitis parum cohaesit.

<sup>4</sup> *Précis de Psychologie*, lib. I, c. 1, sect. 2, § 4, Paris 1831.

qualitates primarias, sed etiam secundarias esse reales voluerunt, atque istis, perinde ac illis, aliquid simile in corpore respondere arbitrati sunt. Quid de hac controversia sentiendum sit, ita breviter declaramus.

1° Certum est proprietates, quae a recentibus primariae appellantur, esse reales, sive tales in corporibus, quales a nobis cognoscuntur. Etenim proprietates primariae aliquid denotant, quo extensio in corpore determinatur, quia cum quantitas, tum figura, tum situs, tum denique motus extensionem exhibent diversis modis determinatam. Atqui extensio in corpore, uti ostendimus, est realis, hoc est, talis, qualis a nobis cognoscitur. Ergo qualitates primariae quoque sunt reales, nempe tales, quales a nobis cognoscuntur.

2° Qualitates secundariae, si spectentur *relative*, prout sensiles sunt, nempe prout a sensu percipiuntur, ipsis perceptionibus sensibilibus similes sunt; nam in actu sensationis illud, quod percipitur, fit per speciem sensilem unum, idemque cum ipso sensu<sup>1</sup>.

3° Inter qualitates secundarias spectatas absolute, hoc est, prout sunt in seipsis, atque impressionem, quam ipsae in organa sensoria producant, quaedam similitudo existit<sup>2</sup>. Enimvero compertum est qualitates secundarias a corpore animali excipi eo modo, quo a corporibus inanimis excipiuntur, cum ab uno ad aliud transmittuntur. Ut hoc aliquo exemplo illustremus, nemo certe negabit caloricum in corpore animali esse, si materialiter consideretur, id ipsum, quod est in quolibet corpore inanimato. Re vera, cum manum igni admoveamus, procul dubio et calorem in ipsa sentimus, ipsamque si altera manu tangamus, calidam experimur, perinde ac calidum experimur lignum, aut ferrum eidem actioni ignis subiectum. Quod quidem certo argumento est manum ea qualitate ornari, cuius gratia corpora calida vocantur.

4° Inter qualitates secundarias absolute spectatas, et earum apprehensiones sensibiles<sup>3</sup> non existit similitudo *naturae*, sed tantum similitudo *repraesentationis*. Non existit quidem similitudo

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *In lib. II De An.*, lect. XII.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 1, sol. 3 c.

<sup>3</sup> Nomine apprehensionis sensibilis significatur actio, qua sensus rem obiectam apprehendunt, et haec distinguitur ab immutatione corporis, seu ab impressione, quam res obiecta in organo producit.

*naturae*, quia qualitates secundariae, prout sunt in seipsis, quidquam corporeum sint oportet, dum e contrario apprehensiones sensibiles, cum sint affectiones subiecti incorporei, incorporeae necessario sunt. Existit autem similitudo *repraesentationis*, quia qualitates secundariae ad apprehensiones sui in anima, tamquam causae efficientes, concurrunt, ac proinde hae ad illas necessario referuntur, illasque repraesentare debent <sup>1</sup>.

73. Ex his colligere licet 1° qualitates sensiles, prout in animo nostro ipsas experimur, si non sunt *actu*, certe esse *potentia* in corporibus, ad quae referuntur; quia in eis est aliquid, quod vim habet illas producendi in corpore animali <sup>2</sup>; 2° sensationes, quamvis affectiones animi nostri sint, tamen non esse dumtaxat aliquid subiectivum, uti Berkeleyus, et Humius voluere, sed etiam obiectivum; quia in rebus obiectis aliquid revera est, quod eis respondet, et quod ipsarum causa est.

## CAPVT IV.

## De vegetabilibus

74. Postquam corporum vita carentium naturam, et proprietates exploravimus, propositi nostri ratio expostulat, ut de corporibus viventibus, seu *animalis* disseramus. Ab iis, in quibus infimus gradus vitae viget, hoc est a vegetabilibus, seu plantis ordiamur. Quenam sint operationes vegetativae, et quomodo vita vegetativa definiatur, alibi explicuimus <sup>3</sup>; quare hic dumtaxat quaerendum nobis est, utrum principium vitale, seu anima insit plantis, et, si vitam plantis inesse invenerimus, cuiusnam speciei illa sit.

## ART. I. Vitam plantis inesse demonstratur

75. Aliqui veteres, secundum Epicuracos, et Stoicos, atque non pauci recentes, secundum Cartesium, nullum principium vitale plantis inesse pugnant, atque ex iis alii motus, et effectus plantarum ex sola partium textura repetunt, ita ut non

<sup>1</sup> Cf *Dynam.*, c. III, passim, vol. I.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIV, q. II, a. 2 *sol.* 6 c., et a. 4 *sol.* 1 ad 3.

<sup>3</sup> Cf *Dynam.*, c. II, art. 1, et 2, p. 105-108, vol. I.

alio discrimine plantae a ceteris corporibus, quam meliori, et nobiliori partium ordine distinguantur <sup>4</sup>, vel per vires physicas, et chymicas fieri arbitrantur. Horum sententiam sequenti Propositione refellimus:

76. *Principium vitale, seu aliqua anima plantis inest.*

*Probat.* Plantae, uti s. Augustinus inquit, non tantum ex vi extrinsecus impellente, veluti cum ventis agitantur, sed ex principio sibi *intrinseco moventur*, e. g., cum succum attrahunt, quo nutriuntur, et aulescunt, et folia, fructus, aliasque plantas sibi similes edunt <sup>2</sup>. Atqui principium vivens, seu anima iis convenit, quae se ipsa ad operandum movent <sup>3</sup>. Ergo vita, seu quaedam anima plantis inest <sup>4</sup>.

77. Praeterea, plantae sunt corpora, quae ex pluribus, diversisque organis conflantur, siquidem in eis, aiente B. Alberto M., « sunt radices ori similes, et stipites, et rami, et cetera diversa officia habentia <sup>5</sup> ». Atqui principium substantiale corporum organicorum debet esse anima, quia ipsum efficere debet, ut corpora se ex se ipsis moveant, alioquin organa frustranea essent. Ergo principium substantiale, quod plantis inest, est anima <sup>6</sup>.

78. Denique, admissa adversariorum sententia, principium, per quod plantae constituuntur, et operantur, deberet esse idem, ac illud, a quo corpora non viventia essentiam, et operationes suas sumunt, nempe, ut ipsi contendunt, leges mechanicae, sive vires chymicae. Atqui hoc consecrarium est absurdum. Ergo.

79. *Minor* ita demonstratur: Leges, secundum quas vegetabilia constituuntur, et operantur, ut alibi diximus <sup>7</sup>, ab iis differunt, quae constitutionem, operationesque corporum haud vi-

<sup>4</sup> Pracsertim Lamarck, *Philosophie zoologique*, t. I, p. 93, Paris 1809, et *Histoire naturelle des animaux sans vertèbres*, t. I, Introd. p. 85, ed. 2, Paris 1835.

<sup>2</sup> *De Gen. ad litt.*, lib. VII, c. 16, n. 22.

<sup>3</sup> Cf *Dynam.*, c. I, art. 1, p. 95, vol. I.

<sup>4</sup> Cf B. Alb. M., *De Plantis*, lib. I, tract. I, c. 9; et s. Thom., I, q. LXXVIII, a. 1 c.

<sup>5</sup> *Ibid.* — <sup>6</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, q. un. *De An.*, a. 9 c.

<sup>7</sup> P. 87. His, quae ibi exposuimus, addi potest corpora non viventia, e. g., *aurum, lapis, ignis*, sub qualibet figura, et vel exigua mole naturam, viresque suas retinere; sed viventia sine certa quadam figura, et mole nec existere, nec operari possunt.